

**DE**  
**SACRAMENTO BAPTISMI**

RITE ADMINISTRANDO.

TITULUS TERTIUS.

SUMMARIUM.

- 1 Sacramentum Baptismi a Christo institutum.
- 2 Baptismus triplex. fluminis, flaminis, et sanguinis.
- 3 Baptismus quid sit physice consideratus.
- 4 Baptismus quid sit metaphysice consideratus.
- 5 Sacramentalia necessaria sunt: ad conficiendum Baptismum.
- 6 Caeremoniae Sacrae variae sunt, aliae praecedunt, aliae comitantur, aliae sequuntur Baptismum.
- 7 Caeremoniae omitti non possunt nisi in casu necessitatis.
- 8 De Sacramentalibus varia.

1 Rubrica haec, quoad rite ministrandum Sacramentum Baptismi, non est neque praeceptiva, neque directiva, sed tantum pro ornamento posita est, ad explicandam naturam illius, nempe quod a principio sit a Christo institutum; quod inter Sacramenta primum teneat locum, immo sit janua Sacramentorum, Gulielm. Paris *de Sacr. c. 2.* et cunctis ad salutem necessarium, juxta illa verba Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.*

§. I. Sacrum Baptisma, Chistianae Religionis, et aeternae vitae janua, quod inter alia novae legis Sacramenta a Christo instituta primum tenet locum, cunctis ad salutem necessarium esse, ipsa Veritas testatur illis verbis:

*Nisi quis renatus fuerit ex Aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Itaque summa ad illud opportune, riteque administrandum, ad suscipiendum diligentia adhibenda est.

2 Notandum venit hic, quod Textus loquitur de Baptismo Aquae: cum enim Baptismus sit triplex, nempe fluminis, flaminis, et sanguinis, de primo hic tantum sermo habetur, et de eo datur instructio illud ministrare volentibus; non sunt enim aliae species Baptismi in manu Sacerdotis, nec pro illis Ritus ullus assignari potest pro obtinendo Baptismo flaminis, et sanguinis.

3 Sacramentum Baptismi physice consideratum, est exterior corporis ablutio facta sub praescripta verborum forma; quibus verbis indicatur Baptismum esse compositum quoddam veluti physicum constans ex ablutione externa, tamquam ex materia proxima, et ex verbis, tamquam ex forma, Fulien. *Idea Theol. libr. 1. capit. 9.*

4 Consideratum vero metaphysice et Theologice, definitur Sacramentum novae legis ad regenerationem spiritualem hominum institutum. Nobilitati itaque hujus Sacramenti convenit, ut tum in illo ministrando, tum in illo suscipiendo maxima adhibeatur diligentia: si enim male ministraretur, seu susciperetur hoc Sacramentum, quod est janua caeterorum Sacramentorum, frustranea, et inutilis esset ministratio, et susceptio caeterorum, quia error in radice, et in fundamento esset; ex quo fieri et Homo incapax aliorum Sacramentorum.

§ II. Cum autem ad hoc Sacramentum conferendum alia sint de jure divino absolute necessaria, ut materia, forma, minister; alia ad illius solemnitatem pertineant, ut ritus, ac caeremoniae, quas ex Apostolica, et antiquissima traditione acceptas, et approbatas, nisi necessitatis causa omittere non licet; de iis aliqua praemonenda sunt, ut sacrum hoc ministerium rite ac sancte peragatur.

5 Non tantum necessariae sunt ad conferendum Baptismum res, quae vere conficiunt Sacramentum, nempe Materia, Forma, et Minister; sed etiam Sacramentalia, ut Ritus, et Caeremoniae. Materia, et Forma sunt de jure divino: Sacramentalia ex traditione Apostolica instituta fuere ab Ecclesia.

6 Istae Caeremoniae variae sunt, quarum aliae praecedunt, aliae comitantur; aliae vero sequuntur Baptismum. Sunt vero: Impositio nominis; abrenunciationes; insufflationes; signa Crucis; manuum impositio; exorcismi; salis datio; salivatio; unctio, et alia enumerata a Fulien. *dict. cap. 13.*

7 Quae Sacramentalia omitti non possunt nisi necessitatis casu, puta imminentis mortis, quae prudenter timeatur, si functio ad longum tempus cum plenis caeremoniis produceretur. Tunc sufficit, ut Minister expedite materiam, et formam applicet, et se expediat, modo non relinquat necessaria, Clericat, *de Baptismo, Decis. 37. n. 9.* Quod si Baptizatus post Baptismum dicto modo collatum adhuc supraviveret, essent supplenda Sacramentalia, ut suo loco dicemus.

Et generaliter loquendo de Sacramentalibus, dicam Sacramentalia esse Actiones Sacras, vel Caeremonias Ecclesiasticas, quibus veluti circumstantiis religiosis in Sacramentorum potissimum administratione utitur Ecclesia, et quidem multa, et diversa sunt prout illa enumerat Cabrin. *cap. 9.*

Habent vim impetrandi a Deo auxilia gratiae praeventis, et excitandi pios motus in peccatore ad justificationem, et operandi sanitatem, et beneficia corporalia, ex Coninck. *quaest. 71. art. 3. Layman. lib. 5. tr. 6. c. 4. n. 17.* Et juxta Doctrinam Div. Thom. quae habetur 3, *part. quaest. 87. art. 3. in O.* operantur ad remissionem venialium peccatorum; ad remissionem quippe peccati venialis, ut ait idem Angelicus Doctor, non requiritur novae gratiae infusio.

DE

## MATERIA BAPTISMI,

### TITULUS QUARTUS.

#### SUMMARIUM.

- 1 Quando prima vice usurpati fuerint termini Materiae, et formae in Ecclesia?
- 2 Aqua communis unice est materia Baptismi.
- 3 Quare Baptismus institutus fuerit in Aqua, et non in alia re elementari.
- 4 Aqua composita, medicata, et artefacta non est materia Baptismi.
- 5 Accidentia supervenientia in Aquam non perturbant Baptismum.
- 6 Glacies, Grando, Nix non sunt materia apta ad Baptismum.
- 7 Aqua solemniter consecrata proprie est materia Baptismi.
- 8 Fons Baptismalis debet renovari quolibet anno in Sabbato Sancto.
- 9 Potest etiam renovari extra illud tempus.
- 10 Aqua antecedentis anni debet projici in Sacrarium.
- 11 Aqua minima gutta non sufficit ad baptizandum.
- 12 Aqua benedicta potest admisceri cum non benedicta.
- 13 Aqua facile corrumpitur.
- 14 Quomodo dari possit effluxio Aquae.
- 15 Unicum remedium est nova Aquae benedictio.
- 16 Rationes propter quas non est adhibenda Aqua corrupta.
- 17 Si aqua esset congelata, quomodo liquefacienda sit.

1 Termini Materiae et formae, in materia Sacramentorum, prima vice usurpati fuere anno 1215, in Ecclesia Dei a Guillelmo Altisiodorensi, quem deinceps omnes pene Theologi sequuti sunt, ut ex Morin. *Exercit. 1. de Sacr. Ordin.* Observat Duhamel. *in Theol. Speculat. et pract. T. 7. tract. de Matrim. lib. 1. dissert. 3. cap. 5. per tot.*

§. I. Ac primum intelligat Parochus, cum hujus Sacramenti Materia sit Aqua vera, ac naturalis nullum alium liquorem ad id adhiberi posse.

2 3 Aqua communis unice est materia adhibenda in conficiendo Sacramentum Baptismi, scilicet, Aqua elementaris, sive marina, sive fluvialis, sive pluvialis, sive fontium, sive putei, quia illa tantum est naturalis Aqua. Ita definitum fuit in Concil. Lateran. *Ex c. firmiter, de summa Trinit.* Conc. Florent. in Decreto Fidei, et in Concil. Trid. *sess. 7. can. 2. de Baptismo.* Ratio hujus institutionis duplex est. Prima a priori sumitur ex voluntate Christi, qui Sacramenta instituit eo modo, quo voluit: altera congruentiae, quia cum Baptismus sit omnibus ad salutem simpliciter necessarius, debuit institui in re communissima, quae ab omnibus facile haberi posset. Quid enim communius Aqua: quid facilius inventum? Altera ratio etiam est, quia per Aquam qua lavantur corporis maculae, apte repraesentatur ablutio peccatorum, quae fit per Baptismum.

4 5 6 E contra Aqua ex floribus, vel herbis, arte stillata, Vinum, Jus, Cervisia, et hujusmodi liquores non sunt materia apta ad Baptismum. Immo si corpus aliquod Aquae elementari in tanta quantitate admisceatur, ut pereat primae Aquae denominatio, ea non est Aqua ad Baptismum. Non tamen nocet ad valorem Baptismi, quod Aqua sit paululum immutata secundum accidentia: vel quod sit calida, aut sulphureo, vel alio odore imbuta juxta venas minerales, per quas transeunt Aquae, praecipue illae, quae e fontibus scaturiunt. Ulterius notandum, Aquam debere esse usualem, seu talem, ut ex ea corpus abluere possit, quia alias falsa esset forma illa: *Ego te Baptizo, etc.* cum *Baptizo* idem sit ac *Abluo*. Hinc Glacies, Grando, Nix, et similia non sufficiunt ad Baptismum, etiamsi demus ea substantialiter ab Aqua non distingui, eo quia non valent corpus abluere, etsi utcumque illud possint madefacere. Ita Fulien. *l. c. n. 59.*

Quaestiones non inutiles scitu promovet, et resolvit circa hanc materiam Cleric. *de Sacr. Baptism. Dec. 20.* et Coninck. *de Sacrament.* Layman. Tamburin. et alii Theologi morales, qui omnes in hoc coalescunt; Materiam remotam Baptismi Aquam esse naturalem, et non aliam, vel similes naturae, vel aliter apparentem quasi Aquam.

§. II. Aqua vero solemniter Baptismi sit eo anno benedicta, in Sabbato Paschatis, vel Sabbato Pentecostes, quae in fonte mundo nitida, et pura diligenter conservetur: et haec quando nova benedicenda est in Ecclesiae, vel potius Baptisterii Sacrarium effundatur.

7 Quamvis quaelibet Aqua naturalis sit sufficiens materia

ad Sacramentum Baptismi, attamen adest Aqua ab Ecclesia ad hoc instituta, et solemniter consecrata. Communis Aqua adhibetur, seu adhiberi permittitur in casu necessitatis, et in Baptismo non solemniter ministrato, ob causas, de quibus suo loco dicemus in Titulo *de Tempore Baptismi*: Aqua vero consecrata adhibenda est in solemniter Baptismo cum caeteris caeremoniis et Ritibus, Sarnell. *Ep. T. 1. ep. 31.*

8 Quolibet anno in Sabbato Sancto Paschatis, vel in Sabbato Pentecostes, renovari debet fons Baptismalis, seu Aqua fontis solemniter benedictione praescripta in Missali, et Rituali, Gavant. *P. 4. T. 19.* et hanc esse functionem Parochialem, et ad Parochum spectantem docet Barb. *de Offic. et pot. Paroch. cap. 12. n. 2.* cum aliis DD. ibi allegat.

9 Potest etiam renovari extra haec tempora, quando scilicet defecerit in fonte Aqua infra annum, ne desit materia tanti Sacramenti in subsidium Animarum: Vetitum enim est, ne Aqua consecrata anno antecedenti quis utatur, *c. duo, de consecr. dist. 4.*

De Fonte apto ad incorruptam conservandam Aquam, necnon puram, et nitidam; necnon de perpoliando hujusmodi fonte, riteque tuendo ab immunditis, et putredine: Vide Cavalier. *Tit. 27. num. 13.*

Interea Aqua, quae remanet antecedentis anni, vel sit corrupta, vel non, nequaquam projici debet extra Ecclesiam, sed in Sacrarium ejusdem Baptisterii, ut vestigia Sacramentorum non conculcentur, Cavalier. *ibid.*

§. III. Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate.

11 12 Aquae minima gutta non sufficit ad baptizandum, sed opus est, ut sit in tanta quantitate, ut ejus infusione corpus hominis, vel ejus pars moraliter abluere dicatur. Valen. *t. 4. punct. 2. col. 4.* et alii apud Barbos. *de Off. et pot. Par. p. 1. c. 18. n. 45.* Ideoque cum major pars cujuscumque humoris aquei trahat ad se minorem, et minor convertatur in majorem, cavendum est ne Aqua non benedicta superet in quantitate Aquam benedictam. Istud tamen Aquae augmentum cum periculosum sit, fieri debet cum magna advertentia; nam si Aqua benedicta usque ad extremam guttam ita imminuta sit, ut minus sufficere videatur ad Baptismum, paucissima etiam pars Aqua simplicis potest illi immisceri, ne ista superet quantitatem alterius tam exiguae. In hoc casu, si posset differri, et

procrastinari Baptismus, locum darem noviter benedictae Aquae eo magis quia quocumque tempore benedici potest: Si vero non posset hoc fieri, inter casus necessitatis hunc ponerem, et communi Aqua baptizarem.

§. IV. Si vero corrupta fuerit, aut effluerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum, ac nitidum, recentem Aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quae infra praescribitur.

13 14 15 Tres casus ponit hic Textus. Corruptionem, effluxionem, et deficientiam Aquae. Corruptio faciliter dari potest, quia Aqua est estagnans, et clausa, juxta illud: *Et vitium capiunt ni moveantur Aquae.* Unde Aristoteles ait: *Putrescit facile Aqua.* Effluxio contingere potest in casu quo Vas, seu fons, rimulas, seu fixuras licet exiguas habeat, vel marmor impolitus aut porrosae naturae sit: quod prudenter cavendum esse ab illis, qui de novo aedificant istos fontes, monet Cavallier. *T. 8. n. 9. et seqq.* Cui periculo occurrere volentes nonnulli, totum Vas marmoreum, ex aere incoctili, seu stanno illito ad instar caldarii implent, et faciunt Vas subsutum aere Act. Med. *IV. p. 11.* deficientia vero vel ex hac effluxione oriri potest, vel ex magno usu facto in administrando hoc Sacramento, vel denique ab exiccatione ejusdem Aquae. In his tribus casibus unicum remedium docet ipse Textus, et est Benedictio novae Aquae, ut suo loco dicemus.

16 Quod demum Aqua corrupta, et putrida non sit adhibenda, multiplex ratio est: prima, quia corrupta, ita alterata dicitur, ut suam formam immutatam habeat: secunda, quia nocere potest Infantibus: projecta enim supra caput adhuc teneillum, introducere potest in porrocitates illius partis molleculas vitiatas, et necessariam transpirationem impedire, et ita patientem alterare, ut mixtis supradictis particulis Aquae putridae cum fluidis, febres, et alii gravissimi morbi oriantur, in grave damnum Infantis baptizati.

§. V. Sed si Aqua conglaciata sit, curet ut liquefiat: sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum Aquae naturalis non benedictae calefacere, et admiscere Aquae baptismali in vasculo ad id parato, et ea tafefacta ad baptizandum uti, ne noceat Infantulo.

17 Jam diximus Glaciem, Grandinem, Nivem, et similia non sufficere ad Baptismum. Hic docet Textus modum Glaciei liquefaciendi. Hoc fiat in Vasculo distincto, et ad id parato, portionem Aquae consecratae, licet conglaciatae in illud repouendo, cui adjungatur parva portio Aquae calidae quantum sit, ut sufficiat ad liquefaciendam materiam conglaciatam. Hoc docuit pia Mater Ecclesia pro indemnitate Infantulorum tenellorum, quibus unice calor favet, cum ex loco calidissimo nuper exierint, qualis est maternus Uterus, Benett. *ad Bascarin. Canon. 12.* cum Etmullero, et Gobat. *tract. 2.*

DE  
FORMA BAPTISMI.

TITULUS QUINTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Forma Baptismi innitur verbis Evangelii.
- 2 Errores antiqui circa formam Baptismi.
- 3 Exceptiones dandae formae Baptismi.
- 4 Vox *Ego*, sufficit ut indirecte exprimatur.
- 5 Formula Graecorum sine pronomine *Ego*.
- 6 Requiritur, ut actus baptizandi exprimatur.
- 7 Presbyter Graecus non debet uti forma Latina.
- 8 Nec presbyter Latinus debet uti forma Graeca.
- 9 Baptismus sic collatus esset validus, sed illicitus.
- 10 *Ephpheta* verbum Chaldaicum non componit formam Sacramenti.
- 11 Casus in quibus Baptismus iterari potest, sed semper conditionate.
- 12 Forma adhibenda in baptizando sub conditione.
- 13 Baptismus triplex. Per infusionem: per Immersionem: per Aspersionem.
- 14 Debet servari Ritus Ecclesiae Dioecesanae in Baptismo.
- 15 Infusio quid sit?
- 16 Immersio quid sit?
- 17 Aspersionis quid sit?
- 18 D. Laurentius baptizavit sola aspersione.
- 19 Baptismus per stillicidium an valeat?
- 20 Modus baptizandi per Infusionem, et per Emersionem.
- 21 Ablutio qua occiditur quaenam sit?
- 22 Aqua qua unus baptizatus est, non est adhibenda amplius.
- 23 Effusio Aquae non est facienda supra Fontem.

1 Praescripta fuit haec Forma a Catholica Ecclesia innixa verbis Matthaei 28. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. C. Firmiter de summ. Trinit. Catechis. Roman. de Baptismo. A latinis Ministris adhibenda est, nec praetermitti, aut mutari potest, juxta Textum.*

§. I. Quoniam Baptismi forma his verbis expressa: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus-Sancti*; omnino necessaria est; ideo eam nullo modo licet mutare, sed eadem verba uno, et eodem tempore, quo fit ablutio, pronuncianda sunt, etc.

2 3 4 5 Olim varii fuere errores circa formam Baptismi, quos diffuse referunt Bellarmin. l. 1. *de Baptismi. c. 3.* Suarez *disp. 23 sect. 3.* Vasquez *disp. 142.* et alii apud Gonink. *de Sacr. q. 66. art. 6.* Verum nonnullae exceptiones in hac forma dari possunt: nempe, quod si reticetur vox illa *Ego*, adhuc valeret Baptismus, sic collatus; non enim opus est ad valorem Baptismi, personam Ministri directe exprimere, cum haec vox sit implicita etiam si dicatur: *Te baptizo in nomine, etc.* Sufficit ergo quod hoc pronomen indirecte exprimatur, aliter non veleret neque forma Graecorum, quae ministrum non exprimit neque per pronomen *Ego*, dum dicit: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris, etc.* Coninck. *de Sacr. q. 66. art. 6.* Actio enim procedit a Ministro, et Minister adest.

6 Praeterea ad essentiam Baptismi requiritur, ut actus baptizandi exprimatur *uno, et eodem tempore.* Ita habemus ex Conc. Florent. *in decreto de Armenis*, et ratio suadet, quia ablutio externa ob varios fines haberi potest; quare ut significet abluitionem internam a peccatis, non satis est adhibere lotionem externam cum verbis illis *In nomine Patris, etc.* sed praeterea adhiberi debent illa verba *Ego te baptizo, etc.* quae ex usu Ecclesiae abluitionem internam a peccatis significat. Fulien. *de Sacr. c. 9. resol. 4.*

§. II. Latinus Presbyter latina forma semper utatur.

7 8 9 Convenientia verba cuique ritui adhibenda sunt etiam ob evitandam deformitatem: undesicute Presbyter Graecus non deberet uti forma latina, ita latino Presbytero prohibetur usus formulae Graecae, quia disconveniret, si formae pares non essent caeterae formalitates. Baptismus vero sic collatus validus esset, sed illicitus, et contra praeceptum Rubricae; unde qui ita ministraret, graviter peccaret.

10 Objicere posset aliquis, quod in ministracione Baptismi utitur Sacerdos latinus vocabulo non latino, tunc cum digito accipiens salivam oris sui, tangit aures, et nares infantis dicens *Ephpheta* (quod est *adaperire.*) *Ord. bapt. parvul.* Illud

verbum *Ephpheta* est Chaldaicum, et tamen sic loquendo Sacerdos latinus, rite, et recte, imo licite administrat Baptismum: Quare ergo non licet eidem latino Presbytero uti forma Graecorum? Respondeo: Illud verbum *Ephpheta* esse ita pronunciatum, et ab Ecclesia statutum, ut ad D. Marci *Evang. c. 7* relatio haberetur, ubi dicitur, Christum Dominum adhibuisse talem vocabulum Chaldaicum ad sanandum surdum. Insuper hoc verbum non componit formam Sacramenti, sed tantum est in Caeremoniis, et Sacramentalibus, ad Sacramentum essentialiter non spectantibus.

§. III Cum Baptismum iterare nullo modo liceat, si quis sub conditione, de quo infra, sit baptizandus, ea conditio explicanda est, hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, etc.* Hac tamen conditionali forma non passim, aut leviter uti licet, sed prudenter, et ubi re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio, Infantem non fuisse baptizatum.

11 12 Multi sunt casus, in quibus Baptismus iterari potest, licet per se, et radicaliter sit Sacramentum non iterabile: semper vero hoc faciendum est conditionate. Pro regula generali sit: Quaecumque rationabiliter dubitatur, Creaturam humanam, vel nullo modo, vel invalide fuisse baptizatam: tunc iterari licite potest cum formula praescripta: *Si non es baptizatus, etc.* Ipse baptizandus, si est adultus, potest de se rationabiliter dubitare, si nullo modo sibi constet, neque per testes, neque per rem scriptam, neque per Ministrum. In Infantibus vero si expositi sint, si inserti, si derelicti, si Patrini non exstent, qui id affirmant, si Parochia sit incerta, si libri deperditi sint, vel in illis non reperiatur memoria; si Parentes ignorent; si a Regionibus longinquis, et multo magis Infidelium proveniant; si ad littus projecti per naufragium, et in similibus casibus Baptismus licite iterari potest, sed semper sub conditione juxta formula superius descriptam.

§. IV. Baptismus licet fieri possit aut per infusionem Aquae, aut per immersionem: aut per aspersionem: primus tamen, vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur; ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum

Crucis uno, et eodem tempore, quo verba proferuntur, et idem sit aquam adhibens, et verba pronuntians.

13 14 15 16 Tripliciter conferri potest Baptismus. Per Infusionem: per Immersionem: et per Aspersionem. Quilibet tamen Minister debet servare Ritum Ecclesiae Dioecesis, in qua degit, quia his tribus modis semper ablutio fieri potest, Fulien. *cap. 9*. Infusio idem est ac effusio, et sit per Aquae effusionem, versando, seu effundendo illam supra caput Baptizandi qui mos fere comunis est in Italia, Clericat. *de Bapt, decis. 39. nu. 2. 3*. Immersio fit quando immergitur, vel Cuput, vel totum Corpus Baptizandi in Aquam; mos est tamen laudabilis immergendi tantum caput, ut alibi dicemus. In adultis, certe, et praecipue foeminis, consuetudo haec non est amplexanda, loquendo de immersione totius corporis, ubi etiam vigeat Ritus immersionis.

17 18 19 Aspersione denique est guttarum Aquae projectio in caput Baptizandi, et licite fit, ac valide ubi vigeat talis mos; de facto id docuit D. Cyprianus *l. 4. ep. 7*. ut notat Coninck *de Sacramentis, art. 7. dub. 1. q. 66*. ubi notatur quod D. Laurentius, instante martyrio, olim baptizavit sola aspersione Aquae. Nec credibile est, Apostolos, cum (ut habetur *Actorum 2.*) tria millia, et *c. 4*. quinque millia hominum, una die baptizarunt, singulos immersisse, ob raritatem Aquae, nisi in publica piscina id fecissent, quod non videtur credibile. Clericatus loco citato proponit casum fictum de Curato baptizante per stillicidium, e tecto: et concludit, per istam aspersionem validum fuisse, sed illicitum Baptismum.

20 Duo priores modi magis ab Ecclesia approbantur. Si primus in usu sit, ter caput, Baptizandi perfundatur Aqua: si secundus, ter immergatur, dummodo semper in actu effusionis vel immersionis pronuncietur forma Ecclesiae.

21 Est altera Ablutio ab Aegidio Coninck descripta *Q. 66. art. 7. dub. 1.* et vocatur *Ablutio, qua occiditur*, quam ipse probat validam esse, sed illicitam multis argumentis, et rationibus. Et fit haec Ablutio (quam potius Immersionem vocarem) quando quis projicitur in Aquas Putei, vel Fluminis, aut Maris, Communior opinio DD. asserit. tale Baptisma nullum esse, ac peccare mortaliter sic baptizantem.

§. V. Ubi vero Baptisma fit per Infusionem Aquae, cavendum est, ne Aqua ex Infantis capite in Fontem, sed vel in Sacrarium Baptistarii prope ipsum Fontem extruc-

tum defluat, aut in aliquo vaso ac hunc usum parato recepta, in ipsius Baptisterii, vel in Ecclesiae sacrarium effundatur.

22 23 Non decet, quod Aqua, qua unus baptizatus sit, alter baptizetur, quia hoc pacto Aqua potest fieri immunda per contactum; et immisceri cum aliqua re non convenienti. Ideoque effusio, seu infusio facienda est non supra Fontem consecratum, sed supra catinum, seu aliud vas ad id paratum, quae Aqua, ut supra dictum est, reponatur in Sacrarium prope fontem constructum.

DE  
MINISTRO BAPTISMI

TITULUS SEXTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Episcopus ipso jure habet potestatem baptizandi.
- 2 Sacerdos simplex, nec Diaconus habent similem potestatem.
- 3 In casu necessitatis quilibet potest baptizare.
- 4 Episcopo succedit Parochus, qui gerit vices Episcopi.
- 5 Parochus habet tantam potestatem in sua Parochia, quantam habet in sua dioecesi Episcopus.
- 6 Parochiani omnes a proprio Parocho baptizari debent.
- 7 Parochus peccat baptizans non sibi subditum.
- 8 Post Parochum quilibet Sacerdos potest baptizare de ejus licentia.
- 9 Licentia debet esse expressa, vel praesumpta.
- 10 Quod tamen intelligitur de Baptismo solemnium.
- 11 Post Sacerdotem succedit quaelibet creatura humana.
- 12 Ex vi consuetudinis potest quis a non suo Parocho baptizari.
- 13 In casu necessitatis omnes baptizare possunt.
- 14 Sed inter illos servandus est ordo tum naturae, tum gradus.
- 15 Qui ordo non potest praeverti sine juxta causa.
- 16 In Partu difficili mulier debet baptizare honestatis gratia.
- 17 Obstretices instrui debent, et examinari circa Baptismum.
- 18 Instruere obstretices est munus Parochiale.
- 19 Doctrina D. Caroli circa instructionem obstetricum.
- 20 Parentes filios baptizare non debent nisi in casu necessitatis.
- 21 Tunc nullam contrahunt affinitatem.
- 22 Cognatio spiritualis non impedit usum Matrimonii si filius sit legitimus.
- 23 Si filius sit illegitimus, tunc Pater baptizans non potest Matrimonium contrahere cum illius Matre.

1 2 3 Episcopus ipso jure habet ordinariam potestatem quoslibet, in sua Dioecesi, baptizandi; Sacerdos simplex, minime, et multo minus Diaconus. Quilibet tamen in casu necessitatis baptizandi potestatem habet. Fulien. *de Sacram. c. II.* quod intelligitur etiam per Barbosam *de Offic. et pot. Par. c. 18.*